

vivit animus. quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit. itaque adpropinquante morte multo est divinius. nam et id ipsum vident qui sunt morbo gravi et mortifero adfecti, instare mortem; itaque is occurrunt plerumque imagines mortuorum tumque vel maxime laudi student eosque qui secus quam decuit vixerunt peccatorum suorum tum maxime paenitet. divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius, quod adfert, Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse et dixisse qui primus eorum qui secundus qui deinde deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum adpulsu homines somniare, uno quod provideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur, altero quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis appareant, tertio quod ipsi di cum dormientibus conloquantur. idque, ut modo dixi, facilius evenit adpropinquante morte, ut animi futura augurentur. ex quo et illud est Callani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat. neque enim illud verbum temere consuetudo adprobavisset, si ea res nulla esset omnino:

‘praesagibat animus frustra me ire, cum exirem domo.’

sagire enim sentire acute est; ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canes. is igitur qui ante sagit quam oblata res est, dicitur praesagire id est futura ante sentire.

30